

ullum iniuria occupat. Neque assentimus iis, qui se solos dum credunt esse philosophos, verentur, mare fateri, elementum esse, quia ex salsedine, opinantur, illud corpus esse compositum, et non simplex, quale volunt elementum omne esse, quam tamen simplicitatem, in nullo repererunt elemento, non in terra, non in aqua, non in aere, non in æthere, non denique in firmamento. Forte in Empyreo, et in primævo illo fluore nostro, simplicitas fuerit summa, quia prima corpora sunt. Reliqua omnia partim composita, partim mista. Dum illi inquam putant, mare quia mistum appareat, non esse elementum, nec elementi partem, flumina potius, et puteorum aquas elementi nomine insigniunt. Nos vero aquæ elementum esse asserimus, totam simul aquam, intres, quas diximus divisam regiones. Cuius tamen elementi, principalissimam partem, esse Oceanum autem amamus. A quo, et subterraneas omnes, et superterraneæ deriventur, et propagentur. Et sit revera Oceanus Temerinda, ut Scythica utamur voce, hoc est aquarum mater. Et non Meotis, quod accolæ putabant, ac forte adhuc putant. Qua sane ratione, nulla salsedine impeditur, quin Oceanus, non sit aquæ totius elementum, quando aliæ omnes, proles, eius sunt, et propagines, ac veluti Solis radii. Verum longe aliter senserunt, qui de fontibus, atque eius origine quæsierunt. E diametro namque nobiscum pugnant, ut qui dicamus, omnes aquas ab Oceano, oriri. Illi vero dicant, Oceanum, ab aliis aquis ortum ducere. Moses sane, vir sapientia, non solum Ægyptia, sed et si Philoni fides danda, et Æthiopica, et Lybica, et Hebraica, et Arabica, et Chaldæa, et Græca instructus, a nobis stat. Siquidem ait Conditorem in undi Deum, iussisse omnes quæ sub cœlo essent aquæ, in unum congregari locum, congregationesque aquarum, appellasse maria. Locus autem hic unus, non aliud putandus est, quam terra, et eius cavitates, seu ut Zoroaster inquit, sinus.

Γὴν δὲν μέσῳ τιθεὶς, ὑδωρ δὲν γαίας κόλποις.

“Terram in medio posuit, aquam vero in terra sinibus. Idque patrem fecisse dicit.”

Quod et Hermes confirmavit, dum ait Poemandro

“Ex luce, verbum quoddam sanctum supersedit naturæ, et ignis sincerus exiliit ex humida natura in sublime, quia levis erat, et acutus, et efficax, et aer levis, et ipse securus est spiritum, ascenditque usque ad ignem, a terra, et aqua, ut videretur ipsum pendere ab illo.”

Γὴ δὲ καὶ ὑδωρ ἔμενε καθ' ἕαντα συμμεμιγμένα.

“Terra vero et aqua remansere inter se ipsas commissæ” Itaque a primordio rerum et mundi constitutione, aqua et terra in infimo remanserunt, inter se ita commissæ, ut aqua sinus et cavitates impleret terræ. Et quæ maximam terræ cavitatem repleret, mare fuit, a quo reliquæ infra terram et supra terram pronascerentur, ut a Sole radii, ut a trunco rami. Quod et veterum philosophorum quidam Aristotele referente, tradiderunt.

Ἐίναι γαρ τὸ πρῶτον ὑγρὸν ἄπαντα, τὸν περὶ γὴν τόπον.

“Esse namque primum humorem omnem in loco circa terram.”

Sed nihil opus habuerunt ποιεῖν αὐτῆς γένεσιν: facere eius generationem.

Neque Græcorum Theologis, ut ait, ποιεῖν αὐτῆς πηγὰς: facere eius (scilicet maris) fontes. Ita enim ab initio factum est mare, sicut et cœlum, et terra, et aer, et sidera. Quid enim illis in mentem venit, maris originem quaerere, et fontes, terræ autem, aut aeris, aut cœli ortum, non itidem quæsiverunt? Evidem Bernardinum ego Telesium nostri seculi, ingens ornamentum, rebus ab illo scriptis omnibus, uti physicum maximum admiror maxime, qui propriis inventis, philosophiam e Peripateticorum compedibus primus exemit, in hac maris inquisitione admiror minime. Nulla enim necessitas naturæ, cum impulit, ut generationem maris inquireret; et assereret, id assidue generari, a Solis radiis terra in fundo posita, in mare versa. Cur enim non, quomodo et terra, quomodo aer, quomodo cœlum, quomodo Sol, vel facta sint a principio, et quomodo ad præsens assidue fiant, aut fient postea indagavit? Sane axioma illi cum veteribus commune est. Primorum, priores causas non esse inquireendas.

Neque enim, cur ignis calidus sit, aer fluidus, terra frigida et solida, quæsivit aut quaerere debet quisquam. Aquæ ergo omnes, a rerum primordiis, in terræ sinus sunt congregatae et maria appellatae. Maria autem sunt aquæ amaræ. Omnes ergo aquæ a primordio fuere ama-